





1720, 9 12

DISSERTATIO JURIS FEVDALIS INAVGVRALIS  
DE

# LITERIS FEVDI REVERSALIBVS

Don  
Lehns-Reversalien,

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIE IVLIACI CLIVIE MONTIVM  
ANGARIE WESTPHALIEQVE &c.

CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS IVRIDICI  
SVB PRÆSIDIO

**IOANNIS BERNHARDI Friesen, JCTI**

HÆREDITARII in Pöfen,  
CONSIL. AVL. ISENAC. ET CONSISTOR. PANDECT. PROF. ORDINAR.  
CVRIÆ PROVINCIALIS ET SCABIN. ASSESSORIS VT ET FACVLTATIS  
IVRID. H. T. DECANI

PATRONI AC OLIM PRÆCEPTORIS ÆTERNVM  
DEVENERANDI

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET  
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME  
CONSEQVENDIS

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

**HENRICVS CONRADVS KOENIG**

OSTERODENSIS,  
D. XXXI. IANVAR. MDCCXX.

---

IENÆ  
LITERIS VVERTHERIANIS



DISPENSATIO JUVIS FEVDALIS HANOVERENSIS

DE

# LITTERIS FEVDALIS REVOCATIONIBUS

JOHANNIS BERNHARDI

RECTORIS MAGISTRI UNIVERSITATIS  
HANOVERENSIS

## DR. GUILIELMO HENRICO

DOCTORIS SACRÆ THEOLOGICÆ FACULTATIS  
PREFECTI

CONSENSU ET AUCTORITATE  
SACRÆ FACULTATIS

### JOHANNIS BERNHARDI

RECTORIS MAGISTRI UNIVERSITATIS  
HANOVERENSIS

RECTORIS AC CUM FACULTATIS  
HONORARIIS

AD SANCTI SPIRITUS HONORARIIS  
CONSILIARIIS

## HENRICVS CONRADVS KOENIG

RECTORIS AC CUM FACULTATIS  
HONORARIIS

HANOVERI  
MDCCLXXII





Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIS FEVDALIS  
INAUGVRALIS  
DE

LITERIS FEVDI REVER-  
SALIBVS.

§. I.



Sus LITERARVM REVERSALI-  
VM quamvis in foro latissime pa-  
teat, & non minus in causis civi-  
libus, quam in causis criminalibus  
sapius obveniat, uti declarant  
scripta MVLLERI & FRITSCHII  
de *Literis Reversalibus*; attamen  
cum dicti scriptores generalia tantum pertractaverint,  
non incongruum erit, separatim hic agere de Literis FEV-  
DI Reversalibus, quæ in Curii Feudalibus tum circa actum

A 2

in-

investituræ, tum in aliis negotiis obveniunt, atque ad Jura Domini ac vassalli præmunienda, aut facilioris probationis causa sæpius adhibentur. Ut proinde non inutilis sit labor, harum naturam, & id, quod circa eas justum est, speciminis inauguralis loco explorare, maxime, cum præter SCHWEDERVM nullus in manus nostras pervenerit, qui hanc materiam paulo accuratius expo-  
fuerit.

§. II.

*Flures de-  
nomina-  
tiones re-  
versalium  
feudi ad-  
ducuntur.*

Equidem continentur hæ Literæ Feudi Reversales sub generali instrumentorum & pactorum feudalium appellatione. Nec tamen speciales quoque denominationes desunt; ita nimirum porro vocantur *Reversalia*. ROSENTHAL *Sywops. Feud. cap. 6. Concl. 67. n. 2.* Item *Antapocha* ROSENTH. *l.cit. cap. 8. Concl. 33. n. 4.* Præterea *Antigrapha*, *Recognitio*. Item vernacula lingua *Lehnß* Reversalien/ *Gegen-Bekenntnisse*/ *Gegen-Briefe*/ &c. Add. RVDING. *Observ. Pract. Cent. IV. Obs. 33.*

§. III.

*Descriptio  
Reversali-  
um Feudi.*

Describuntur vero Literæ Feudorum Reversales, quod sint *Instrumentum aliquod Recognitionis seu Attestatum, super re, qualitate vel actu feudali, a Domino vel vasallo ad fidem faciendam solenniter datum.* Generis ergo loco ponimus instrumentum sive literas, siquidem hoc vocabulum latius patet, & quandoque totum actum investituræ complectitur. Unde quoque NIC. de PASSER. *de script. priv. Lib. III. quest. 18.* recte asserit; quod feudum etiam per literas atque epistolam possit constitui. Siquidem inter omnes Feudistas constat, quod tota vis  
Feu-

Feudi ab investitura dependeat, juxta *II. F. 25.* hæc ergo uti per procuratorem recte expediri potest, absente licet domino vel vasallo *II. F. 3. ANTON, Disp. IV. tb. 4.* Ita pari ratione etiam per scripturæ instrumentum illa voluntas investiendi & inuestituram recipiendi declarari potest. Maxime moribus hodiernis, ubi ne quidem subscriptione testium foret opus, cum iuxta praxin præsentia testium in actu investituræ cesset. *STRYK. Exam. Jur. Feud. cap. 12. §. 16.*

§. IV.

Originem harum literarum Reversalium ipsis feudorum institutis coævam esse putamus, & ita ad mores & consuetudines diversarum gentium referimus. Sicuti enim totum Jus illud feudale, prout ex consuetudinibus Longobardorum & placitis gentium compilatum est, sua initia ex pactis summis, credibile est, notante *STRYKIO Exam. Jur. Feud. Cap. I. qu. 5.* Ita quoque a vero non est absimile, quemvis feuda conferentem & recipientem sibi variis pactis & reversalibus prospectum voluisse, circa præstationes servitiorum, jura successioneis aut alia capita; licet non negandum sit, institutum talium pactorum reversalium fuisse antiquius, quam ipsum vocabulum, de cujus natalibus atque ætate non satis clarum est. Imprimis vero in *feudis oblatiis* tale quid obtinuisse, non sine ratione asserendum videtur, prout etiam admonet *GROTIUS de Jure B. & P. Lib. II. cap. VII. §. 21.*

Origo Literarum Reversalium Feudi.

§. V.

Origo ul-  
terius de-  
ducitur.

Porissimum vero ad Germanam & Francicam gentem Reverfalem Feudalium originem referendam esse cenfeo. Cum enim hisce populis origo feudo- rum & consuetudinum feudalium maxime debeatur. STRUV. *Synt. Feud. cap. 1. §. 3.* non inepta erit coniectura, etiam hos primos feudorum inventores hisce reverfalibus literis occasionem subministrasse; & licet ab initio feudorum non satis certa illarum natura forte fuerit, sed magis ex placito partium determinata videatur; tamen non inique judicandum, quod successu temporis magis magisque forma illarum exulta, atque moribus seculi accommodata fuerit. Nec fallens forte erit conjectura, quando dicimus, quod primis feudorum temporibus, illa reverfalia, vel sub nomine pactorum feudalium vestituris adjectorum latuerint, conf. KNICHEN. de *Pactis Vestiturar.* vel ad *formulas* antiquas pertinuerint, quarum frequens apud Scriptores rerum Francicarum & Germanicarum fit mentio. Atque ita ex jure prius formulario Francica atque Germanica Gentis has literas Reverfales prodiisse arbitramur, donec tandem, mutato habitu, per praxin forensensem ita recepta, atque sub tali denominatione speciali ad Curias Feudales fuerint admissa, maxime postquam judicia feudalium erecta & lites saepe super qualitatibus feudorum agitari coeperunt.

§ VI.

Forma Re-  
versalium

Qualitates harum literarum quod attinet, requirunt



runt Feudista circa *formam* illarum externam (1) ut in *Feudi de-  
charta munda*, non rasa aut lacerata conscribantur, alias *scribitur*,  
enim suspectæ sunt & nil probant, siquidem rasio vel  
cancellatio instrumenti fidem ejus facit dubiam. EVER-  
HARD. de *fide Instrum. cap. 3. n. 48.* Non tamen necesse  
esse putamus, ut præcise in pergamento sint scriptæ,  
sed etiam papyrus ad easdem conficiendas sufficit, &  
æque pro authenticis literis haberi debent, si modo re-  
liqua concurrant necessaria requisita. MYNSINGER.  
*Cent. I. Obs. 80.* (2) Requiritur *subscriptio nominis*,  
quæ deinde legitime cum scriptura superposita est re-  
cognoscenda. COLER. de *Proc. Execut. Part. III. cap.  
I. n. 87. & seqq.* (3) est *subsignatio* addenda, quia magis  
confirmat factam subscriptionem. HOEPINCK. de  
*J. Sigillor. cap. II. §. 3.* Circa formam internam harum  
literarum requirunt interpretes, ut sint ejusdem argu-  
menti cum literis investituræ. Etenim cum tenor pri-  
mæ investituræ sit fundamentum reliquarum, utique  
hic maxime spectandus est. DIETEER in *Contin.  
Thes. Besold. voc. Revers.* Quod ipsum tamen Ddrum  
axioma perpetuum non est, sed eatenus saltem valet,  
ut invitis partibus in præjudicium alterius, nequeat à  
tenore primarum literarum recedi; consensu tamen  
eorum, quorum interest, interveniente, nihil prohibet,  
quo minus per has literas Reversales, investitura prima  
variari possit. Siquidem etiam in foro feudali com-  
munis est regula, quod pacta posteriora priora tollant,  
si de animo paciscentium satis constet. *arg. II. F. 12.*

§. VII.

*Materiale  
Reversali-  
um,*

Materiale proinde horum Reversalium constituunt ipsa pacta, super negotio actuque feudali inita. Referuntur autem hæc ad pacta tam alterantia, quam determinantia naturam feudi, & possunt per illa naturalia feudorum immutari. Ita licet Domino directo, qui habet Jus aperturæ in castro vasalli, non permissum sit, Jus suum extraneo cedere, WURMSER. de Feud. *impropr. Class. III. Sect. 20. n. 26. § seqq.* Attamen hoc per Reversales potest esse licitum, quemadmodum ex veterum documentis formulam exhibet FRITSCHE de Liter. Reversal. cap. II. in fin.

§. VIII.

*Non perti-  
nent ad  
essentiam  
feudi.*

Nec tamen ad essentiam negotiorum feudalium hæc Reversales pertinent, sed tantum ad probationem pactorum, qua invicem inter dominum & vasallum intercesserunt. Unde etiam sine vitio nullitatis possunt omitti, *arg. l. 19. C. de fid. instrum. ibid. PERETZ n. 4.* Utile tamen est, istas adhibere & scripto concipere ad firmandam magis & conservandam rei gestæ fidem atque memoriam. Svadent præterea, ut scriniis & Archivis feudalibus reponantur; verum hoc magis ad securiorem illarum custodiam, quam fidem conciliandam pertinet, cum fides instrumenti ex sua forma & qualitate gesti negotii, non ex loco dependeat. NIC. de PASSER. de *Script. priv. Lib. V. quest. 1.* Magis tamen consultum erit, curare, ut illæ Reversales Protocollis atque Regestis feudalibus, publicè per ministros juratos conscriptis inserantur; vel etiam testibus intervenientibus

tibus, componantur, qui modus probandi antiquissimis Germanorum moribus obrinuit, & hanc habet utilitatem, ut perdito licet instrumento principali, possit ad protocollum vel juratam testium depositionem provocari, & ita æquali probationis vi aliquis gaudet,

§. IX.

Ad plenioram securitatem & fidem harum literarum *Adjuncta* solent iisdem varia adjuncta accedere. Nimirum primo *Reversalium*. *poena conventionalis* in casum violatæ fidei adjuncta, uti exemplum exhibet SCHILTER in *Jur. Feud. Alemann. ad cap. 98. §. 1. & 2.* Quamvis enim omni conventioni feudali poena per se inesse videatur, ex eo, quod vasallus ob non servatam fidem feloniam incurrat, & propterea feudo privari queat; nec non ipse Dominus ex fœdere feudali reciproco Jure suo Domini directi excidere possit, si pactis non stiterit; tamen cum sæpe domini vel vasalli pluris interesse queat, ideo hoc adjumentum utiliter accedere potest. Deinde etiam adjici potest *Juramentum*, quo fides Reversalium magis firmetur, id quod frequentius in foro feudali observari, experientia testatur. Nec tantum a Vasallo tale quid solet exigi, sed idem aliquando Dominus Feudi præstat, uti solenne est exemplum in Capitulationibus Imperatoriis, quæ in effectu nihil aliud, quam speciem Reversalium cum Statibus exhibent, & formam atque moderationem regiminis Feudalis in Imperio præscribunt, STRUV. *Synt. Jur. Publ. Dissert. VI. §. 14. & seqq.*

B

§. X.

An confir-  
matio Do-  
mini sit ne-  
cessaria.

§. X.  
Ceterum an Domini directi confirmatio ad sub-  
stantiam Reversalium pertineat, quaritur? Nos distin-  
ctim in hac questione procedendum esse existimamus.  
Aut enim negotium super quo Reversales dantur, ipsum  
Dominum ac Vasallum invicem concernit, & confirma-  
tio specialis in Curia Domini facta non exigitur: foret e-  
nim Dominus tunc iudex in propria causa. Et licet ille  
actus confirmationis ad voluntariam jurisdictionem re-  
ferendus videatur, & ita expediri queat coram proprio  
iudicio; attamen hoc assertum in iis tantum actibus ad-  
mittitur, ubi nudæ confirmationis & probationis publica  
causa, autoritas judicialis adhibetur. At nostro casu de  
substantiali Reversalium requisito quaritur, quod ex con-  
sensu partium reciproco inducitur, sine speciali confirma-  
tione. Utile tamen esse, coram Paribus curiæ, per speci-  
em iudicii alicujus feudalis, congregatis, istas confirmari,  
non negamus, ut ita magis de fide illarum constet. Aut  
vero Reversales istæ sunt inter convasallos, forte de dota-  
tione filiarum &c. vel inter possessorem feudi & simulta-  
nee investitos super devolutione successionis, alienatio-  
ne aut oppignoratione feudi. Et tunc videndum, an ta-  
lia pacta ipsam feudi naturam, & interesse Domini con-  
cernant, an non. Priori casu opus est ejusdem confirma-  
tione, alias sunt invalida, adeo, ut nec ipsos consentien-  
tes quoad suas personas, obligent, per ea, quæ tradit  
STRUV. *Syns. Feud. Cap. XIV. §. 22. it. Cap. XIII. §. 15.*  
Posteriori casu consensu Domini opus non est, sed va-  
lent Reversales ejusmodi ex naturali paciscentium & se re-  
ver-

versantium libertate, uti pra*judicio* quodam singulari confirmat STRUV, in *Observ. Feud. nov. art. II. §. 7. pag. 120.*

§. XI.

Ceterum cum in recognitionem Domini directi fieri soleat, competentibus casibus, mutatione nimirum feudali contingente, investitura renovatio; hic non incommode disquirendum venit: an etiam harum Reversalium renovatione opus sit, si casus ex parte vel Domini vel Vasalli contingat? Nos ex diversa qualitate & tenore Reversalium hanc quaestionem decidendam esse, putamus. Quod si enim per ejusmodi Reversales fiat nuda recognitio feudi & pertinentiarum feudaliu*m*, renovatione opus esse, censemus, quia tunc habentur tanquam adnexum investiturae principalis, ejusque ita conditionem sequuntur. Aut vero tales Reversales alia pacta continent, quae non tam ad ipsum feudum, quam ad personas tantum paciscentes spectant, v. g. de consensu circa alienationem vel oppignorationem usque ad certam forte quantitatem non denegando; & valebit instar pacti continui, sine renovatione, siquidem vim suam non ex tenore investiturae, verum ex voluntate paciscentium consequitur. Add. STRUV, *Synt. Feud. cap. X.*

*An renovatio Reversalium sit necessaria.*

§. XII.

Fiunt ejusmodi Reversales vel (I) inter Dominum & Vasallum ad fidem aliquam faciendam denexu feudali reciproco, & qualitate feudi aut servitiorum, vel aliis iuribus feudum concernentibus. Vel (II) inter agnatos ac

*personae Reversalia facientes.*



simultaneè investitos; & tunc si interesse simul Domini  
 concernant, confirmatione ejusdem opus habent.  
 Potest tamen utroque casu per tales literas Reversales juri  
 communi Feudali derogari, uti exemplum est in CON-  
 STITUTIONIBUS Saxoniae ELECTOR. *Part. III. Conf.*  
*XLV. ibi:* Wenn denn jemand sein Lehn Buch/daran ein  
 ander die gesambte Hand hat / verkaufft oder verän-  
 dert / so soll durch solche alienation die gesamte Hand  
 nicht gebrochen seyn / es hätte denn der / so Sie hat /  
 eine solche Veränderung / Krafft eines vorhergehenden  
 Pacts, Verschreibung / Revers, oder sonsten heynach  
 gewilliget. *Add. CARPZOV. l. cit. def. 25.* De-  
 nique (III) valent etiam Reversales Vasallorum cum ex-  
 traneis initæ, si nimirum super talibus rebus ac causis  
 concipiuntur, de quibus potestas datur vasallo paciscendi,  
 v. g. cum creditoribus feudi super fructibus assignandis,  
 vel cum litigantibus, ad prætensiones illorum per trans-  
 actionem commodam extinguendas.

§. XIII.

*Reversales  
 cum agnatis  
 initæ non  
 tribuunt  
 qualitatem  
 feudalem.*

Nec tamen istæ Reversales cum agnatis initæ quali-  
 tatem feudalem rei attribuunt, quia hæc tantum per in-  
 vestituram confertur. *II. F. 25.* Unde Reversales, quæ  
 frequenter in venditione Feudi agnatis dari solent, de pe-  
 cunia ex feudo vendito redacta, rursus in emtionem feudi  
 impendenda; pecuniam istam propterea feudalem non  
 faciunt, neque agnatis paciscentibus aliquid jus præci-  
 puum in successione attribuunt. *GOEDEN. Conf. XVIII.*  
*n. 3.* Quod ampliatur ita, ut licet expresse inter agna-  
 tos conventum sit, ut ista pecunia feudalis sit, tamen ex  
 hoc

hoc solo pro illa haberi non possit. COLER. *Part. I. Decis.*  
 94. Interim vero tales Reversales hoc operantur, ut agnati ita paciscentes, per modum interesse specialis, totam illam summam ab heredibus Vasalli allodialibus petere possint, ad hoc, ut vi pacti in feudum collocetur, & investitura desuper a Domino directo competenti modo impetretur. STRUV. *Synt. Feud. cap. IV. §. 6.* Et licet in effectu ad idem recidere videatur, an pecunia talis feudum dicatur, an vero per modum interesse agnatis debeatur; attamen omnino hoc discrimen observare interest: quod agnati pecuniam talem ex pacto & Reversalibus petentes, illam non ut corpus aliquod feudale & speciem, sed tanquam genus & quantitatem ex pacto debitam, petant; & idcirco fundatam intentionem habeant, licet corpora nummorum ex feudo vendito redactorum non amplius extent, cum genus non interire intelligatur; quod e contrario secus esset, si hummos tales tanquam rem feudi peterent, hoc enim respectu, periculum & casus simul ad agnatos pertineret. Pariter porro interest, quoad Concursum creditorum, ubi tales Reversales tantum Jus personale ex pacto in illas pecunias tribuunt, cum alias qualitas feudi dominium & utilem vindicationem vasallo & agnatis tribuat. II. F. §. STRYK. *Exam. Jur. Feud. cap. XXIV. quæst. 17.*  
 §. XIV.

Hæc proinde si ad usum Imperii nostri transferre velimus, occurrit primario persona Imperatoris; quip-  
 pe qui non solum per solennem Capitulationem, tanquam Reversales quasdam literas se Statibus Imperii obligare solet; sed etiam Tractatus & Reversales cum Statibus  
 Reversales Imperatoris.

super Feudis Imperii facere potest, adhibito tamen quandoque consensu Electorum vel Statuum Comitum, prout qualitas feudorum, aut tenor Reversalium exigere censetur. Atque horum instrumentorum expeditiones & asservationes ad iudicium Aulicum & Archivum Cancellariae feudalis aulicae pertinent, neque Archivo Imperii Moguntino sunt communia, licet ad instantiam illorum Statuum, quorum interest, edenda sint a iudicio, ubi detinentur. Add. UFFENBACH de *Judic. Aul. cap. 10. & seqq.* Exemplum talium literarum exhibet SCHOPPIUS in *Theaur. Feud. Pract. cap. IV. Sect. I. Obs. ult.* ubi Pacificationes Ferdinandi III. Imp. cum Electore Saxoniae de anno 1636. refert, quibus inter Consultationes Pragenses de incorporatione certorum feudorum fuit pactum, insequentibus formalibus: *Mit der Churfürstlichen Durchl. zu Sachsen ist es in diesen pafs in specie und besonders dahin verglichen / daß diejenigen Stifter / Clöster und dero Zugehörungen / so von Ihro Churfürstlichen Durchl. vor den Religions-Frieden eingezoget worden / niemahls besprochen werden.* Aliud adhuc exemplum idem adducit inter Ferdinandum II. Imperatorem & Ducem Brunsvicensem de anno 1628. die 23. Jul. Pragae, de quibusdam feudis ad districtum Halberstadiensem pertinentibus *l. cit. cap. IV. Sect. II. Obs. 1.* Similiter pactum aliquod Ruperti Imperatoris adfert SCHILTER *Cod. Jur. Feud. Alemann. in Supplem. pag. 460.*

Electorum  
Reversales.

§. XV.

Ab Imperatore descendimus ad Electores, quorum  
fre-



frequentes, in recipiendis investituris ab Imperio, solent esse Reversales. Singulare hujus rei monumentum circa Electores Saxoniae & Ferdinandum III. Imperatorem de anno 1636. notat SCHOPPIUS in *Theaur. Feud. Pract. cap. IV. Sect. 1. Obs. 7. pag. 532.* wodurch das Marggraffthum Ober- und Nieder-Lausnitz/ der Cron Böhmen ansehnliches Pertinenz-Stück zu Mann-Lehn worden. Et quidem in feudis privatis, quae Electores separatim a Domo Austriaca recognoscunt, Reversales libere dari possunt, sine communicatione cum reliquis Statibus. Cum enim talia particularia feuda cum nexu Imperii non cohareant, ideo nec scientia nec assensus reliquorum Statuum requiritur, horum enim praejudicium tali casu non versatur. Etenim Imperator noster duplicem sustinet respectum: unum quatenus Imperator est, & conjunctam cum Statibus Imperii Majestatem exercet, juxta Leges Imperii Fundamentales & Capitulationes Caesareae definiendam; alterum quatenus est Dux & Princeps Austriacus & terras suas hereditarias possidet, circa has enim liberius disponit, & ita quoque feuda concedens, liberius Reversales Feudales recipere potest, cum pari modo & Electores extra causas & terras Electorales, liberiores, in se constringendo per nexum feudalem, manus habeant. Conf. RICHTER, in *Dissert. de Privileg. & Prærogat. Dom. Austriac.*

§. XVI.

Pari ratione privatis invicem vasallis & Dominis liberum est, mutuis Reversalibus super negotio feudali pacisci, siquidem talis paciscendi libertas ex naturali do-

*Privatorum  
Reversales.*

mi-

minii Jure competit, quo quisque traditionibus rerum suarum pactum adjicere potest, quod velit, si alias leges non resistent, juxta *l. 48. π. de Pactis. l. 15. π. de Condit. Insti.* Et quidem valere ejusmodi pacta Dominorum & Vasallorum censemus, absque confirmatione judicis aut Domini territorialis. Cum enim feuda hisce non subsint, neque etiam illorum autoritas in feudis necessaria. WURMSER, de *Feud. impropr. Class. 2. Sect. 5.* Si tamen illis literis Reversalibus aliquid in præjudicium domini territorialis inferatur, illud certe nullius erit momenti, ita v. g. non valet ad hunc effectum a privatis facta infudatio, ut per istam fundus feudalis communibus oneribus territorii, collectis &c. fiat exemptus. Siquidem immunitatem a collectis concedere, non est in privatorum arbitrio, & tenderet in præjudicium domini territorialis *l. 42. π. de Pact.* At vero alia pacta, quæ jura territorii non concernunt, v. g. de censu feudali præstando, de pertinentiis ac instructis vel instrumentis prædii feudalis, licite omnino valent, sine confirmatione superioris. Sin tamen quis melioris probationis causa, ad judicialem confirmationem offerat, plenius suæ securitati prospicere potest.

§. XVII.

*Reversales  
Pralati an  
obligent Ca-  
pitulum.*

Dantur porro literæ Reversales vel proprio, vel alieno nomine: dependet vero tunc vis istarum literarum & obligatio ex potestate & regularitate officii, intuitu cujus tales literæ vel datæ vel etiam receptæ fuerunt; vel etiam æstimari debent ex finibus commissi mandati, Atque

que ex hac causa hic prius inquirendum se offert : an Reversales Prælati obligent Capitulum? Circa quam quæstionem est distinguendum, aut tales literæ prævio consensu Capituli sunt extraditæ, aut a solo Prælato compositiæ. Priori casu sine dubio sunt valida, cum gesta a toto Capitulo, vel majori illius ac saniori parte, gesta censeantur a tota Ecclesia. Nec interest, an consensus capitularis præcesserit, an subsequutus fuerit; siquidem superveniens ratihabitio ejusdem in jure habetur effectus, ac consensus ab initio interpositus. Posteriori casu est dispiciendum ad materialia illarum literarum; aut enim aliquid novi aut inusitati continent, & non valebunt, quia Prælatus novum aliquod circa Feuda Ecclesiæ inducere, sine consensu Capitulari nequit. *l. 2. X. de his que fiunt a Præl. sine cons. capit.* aut tantum concernunt administrationem & claudulas circa reinfeudationes Capitulares adjici solitas, & valida erunt, quia reinfeudatio solita non est Prælato interdicta. GAIL. *Lib. II. Obs. ult.* Pariter literæ semel a Capitulo initæ atque datæ, a solo Prælato recte confirmantur, cum ita non sint novæ, sed executionem tantum anteriorum concernant, qualis confirmatio ex pactis cum primo acquirente initis, & tenore primæ investituræ, vi promissionis feudalis, necessario facienda. Sola quoque subscriptio Prælati, cum Sigillo Capituli roborata sufficit. Add. HORNII *Jurisprud. Feudal. in Append. pag. 170. n. 49.* Cæterum sede vacante tales literas a Capitulo recte dari, concedimus, adeo, ut futurus quoque in Prælatura vel Episcopatu successor, illas servare debeat. Cum enim ejusmodi pactiones ad Legem Diocesanam, sive potestatem Episcopalem administratorem pertineant, ideo recte a

Capitulo expediri possunt, siquidem talis potestas Capitulo, sede vacante, exercenda competit.

§. XIIX.

*Reversales* Frequentes quoque per Seniores familiae literae Re-  
*Senioris in* versales expediri solent, maxime iis casibus, ubi per obser-  
*Familia.* vantiam vel pacta familiarum jus senioratus inductum & eidem aliquod directorium in familia competit. Atque haec literae tum demum sunt validae, si cum pactis gentilicis familiae conveniant, vel prius cum interessentibus consultatione habita sint approbatae. Siquidem hisce casibus seniori nudum executionis ministerium censetur collatum, & tantum melioris ordinis gratia causae communes per ipsum tractari debent. Unde quoque nec tanquam Votum informativum, nec tanquam decisivum ejus sententia per se valet, sed juncto omnium consensu tales Reversales sunt approbandae, alias tales literae consentientes quidem & subscribentes stringunt, non vero reliquos. STRYK. *Exam. Jur. Feud. cap. XX. quest. 14.* Neque etiam hic vota majora concludunt, verum unanimis omnium consensus requiritur, cum jura omnium sint paria, neque familia ordinem collegii in se involvat; sed tantum relationem quandam ex jure agnationis vel cognationis inter se habeat. HORNIUS in *Jurisprnd. Feud. in Append. pag. 190. n. 36.*

§. XIX.

*Reversales* Præterea non incongrue quaeritur: an etiam per  
*Tutoris,* Curatoris, Tutores, Curatores, vel alios administratores ac Procurato-  
*Curatoris,* res

res possint Reversales valide nomine Principalis concipi? <sup>Procuratoris</sup>  
 siquidem officium illarum personarum frequentissime in  
 Curis Feudalibus occurrit. Et quidem per Tutores Re-  
 versales, alias solita in recipiendis investituris, recte pos-  
 sunt subscribi, & subscriptio principalem obligat, quia ni-  
 mirum illarum datio ad executionem primæ investituræ  
 pertinet, atque tanquam adnexum recognitionis faciendæ  
 consideratur. Uti proinde illa recognitio feudi nomine  
 pupilli recte per Tutorem fieri potest ac debet: ita quoque  
 accessorium recognitionis valide per eundem expediri po-  
 terit. STRUV. in *Jurisprud. For. Lib. I. tit. 21. th. ult.*  
 At vero, si velit de novis quibusdam capitulis, sub tenore  
 primæ investituræ non comprehensis, Reversales inire, &  
 vel ex parte Domini, vel ex parte Vasalli adjicere, hoc certe  
 sine justa causa & cognitione ac decreto superioris facere  
 nequit: cum per tales aliquid de Jure Feudi queat decede-  
 re; nisi vel in utilitatem sui pupilli factæ appareant, v. g. si  
 feudum masculinum tanquam fœmininum per Reversales  
 recipiat; vel si sint tantum declaratorix earum perti-  
 nentiarum, quæ jam in anterioribus literis investituræ sunt  
 positæ; vel si observantia feudalis idem exigat, tunc enim  
 ex necessitate juris ad illas obligatur. Circa Procurato-  
 rem vero speciale mandatum requiritur, quod etiam in  
 Reversales Feudi consuetas subscribendas debet speciatim  
 concipi, & ita partem quandam recognitionis specialis  
 feudi constituit. Conf. ROSENTHAL *Synops. Feud. cap.*  
*VI. Concl. 67.* Curatores denique feudi, live *Lehn-*  
*träger* quod attinet, quales a pluribus concurrentibus he-  
 redibus, vel etiam Universitatibus, Ecclesiis atque corpo-  
 ribus solent constitui, Reversales dare posse, concedimus;



cum hac tamen moderatione; ut si novi quid per illas introducatur, prævia fiat cum principali deliberatio & commissura; siquidem talis Curator Feudi ordinatus in effectu nihil aliud, quam vices procuratoris alicujus feudalis gerit, & ita fines mandati atque commissionis suæ excedere nequit. Conf. Excell. Dn. SCHROETER Dissert. de *Curatore Feudi* §. 3. & seqq.

§. XX.

*Ufus Reversalium in Feudis Ecclesiasticis.*

Nec tantum in secularibus, sed maxime in Ecclesiasticis Feudis tales etiam Reversales obtinent. Cum enim in his eo magis præcavendum sit, ne per collusionem & pacta cum Episcopo vel Prælato præjudicium aliquod fiat Capitulo vel Ecclesiæ Cathedrali aut Collegiata, utique hinc inde per datas literas Reversales providendum, ut exinde tenor, forma & reliquæ circumstantiæ collatæ investituræ eo melius sciri possint. Atque hoc etiam usu & observantia Imperii comprobatur, quo pertinet, quod Episcopi Germaniæ formam regalis administrationis, capitulatione speciali, Capitulo & Imperio promittant, quod sane nihil aliud quam speciem quandam Reversalium esse, facile apparet. Eminent inter has Capitulatio Osnaburgensis de anno 1651. auctoritate sanctionis pragmaticæ confirmata, quam adducit SCHOPPIUS in *Tbesaur. Feud. Pract. Cap. II. Sect. I. pag. 209. 210.*

§. XXI.

*Causa Reversalium & objectum.*

Objectum & causæ, circa quas literæ Feudi Reversales versantur, sunt variæ, & in genere circa promissionem fidelitatis feudalis occurrunt. Siquidem in pluribus Germa-

maniam locis receptum est, ut non contentus sit Dominus directus sola juramenti præstatione, sed præterea Vasallus literas Reversales Domino extradere teneatur, quibus fidem ulterius sub sigillo & manus subscriptione sancte promittit. MULLER de *Liter. Reversal. cap. 3. ib. 51.* Nimirum ad magis constringendum & convincendum vasallum de qualitate feudi, si forte ex capite feloniam feudo privandus sit. Habet & præterea hæc recognitio etiam hanc insignem utilitatem, ut per illam possint Literæ investituræ declarari, si forte obscuritas quædam in illis appareat, item exinde jura Domini ac Vasalli augeri vel minui.

§. XXII.

Frequentissimum vero usum Reversalium in Feudis oblatis deprehendimus, siquidem in his vasallus sæpius jura quædam sibi reservare solet, ut nimirum sub certa moderatione se suaque bona in protectionem alicujus sub jure vasallagii committat. Unde quoque in ejusmodi feudis liberior solet esse vasalli potestas ex pacto competens, & Dominus directus frequenter per literas Reversales vasallum recipit, prout uberius declarant HERTIUS item THOMASIIUS in suis *Dissert. de Feud. Oblat.* Atque olim tempore diffidationis in Imperio plura talia feuda, sub solenni, in curia Principum, Reversalium forma, oblata fuisse, refert sæpe laudatus SCHOPPIUS in *Thef. Feud. Pract. cap. III. Sect. I. Obs. 4.* DATTIUS de *Pace Publ. Lib. I. cap. 3. 4.*

*Ufus Reversalium in Feudis oblatis.*



Usus in  
Feudis  
Advoca-  
tis,

§. XXIII.

Similis utilitas Reverfalium est observanda in feudis Advocatiæ Clientelaribus, ubi defenfio urbis, provincia vel Ecclesiæ, alicui sub nexu feudali committitur, arg. *II. Feud. 27. §. 8.* ubi utile non tantum, sed etiam necessarium est, manus Protectoris selecti, per Reverfales constringere, ne jus illud clientelare & protectionis ulterius extendat, quam par est; & ne jurisdictionem, aut superioritatem quandam territorialem, sibi arroget. Conf. MART. MAGER a SCHOENBERG de *Advoc. arm. cap. 9.* Et hoc intuitu Pontifici olim ab Imperatore juramentum præstatur, quod tamen non subjectionis, sed protectionis tantum & defensionis erat. STRUV. *Synt. Feud. cap. IV. th. 20.* Pariter in feudis gratiæ, vulgo *Gnaden-Dehntales* Reverfales a Vasallo solent exigi, ne forte præcarium illud venditet pro feudo irrevocabili, aut ad heredes transitorio, cum potius tale ex libertate concedentis dependere debeat. Idemque in alijs feudis ad vitam vel officium Vasalli restrictis, utile esse poterit, uti sunt feuda *Guardiæ & Gastaldiæ*, & alia ejusdem generis.

§ XXIV.

Reverfales  
in renova-  
tione inve-  
stiture  
ustitate.

Potissimus vero & fere proprius harum Literarum Reverfalium usus in renovatione investituræ spectatur, ubi vasallus Domino ad illas obstringitur; atque in his significat pertinentias feudi, earum situm, quantitatem ac qualitatem &c. ac proinde sua subscriptione fatetur, se illas res in feudum a Domino suo directo recognovisse, & seque illas pertinentias qualitati feudali subjectas, ut inde in



in casum forte negationis, probatio a Domino contra Vafallum defumi queat, aut ut inde constet de integritate feudi & pertinentiarum, easdem non esse a corpore feudali decerptas, verum adhuc salvas & integras superesse. WEHNER in *Observ. Praet. vocab. Revers.* Sunt quidem hae Reversales non ubivis in Curii Feudalibus receptae, maxime tamen in illis locis obtinent, ubi ad alienationem & oppignorationem rerum immobilium, judicialis confirmatio non requiritur, ibi enim utile praecipue est, a Vafallis tales Reversales exigere, ad praecavendas tetas alienationes vel oppignorationes pertinentiarum feudi, & ne forte post temporum lapsum, tales pertinentiae penitus supprimantur. Ac plerumque vafallus vel ejus mandatarius, in actu investiturae, sub fide Juramenti pertinentias feudi indicare, atque literis Reversalibus designare debet, ut nimirum ita Domino directo eo plenius constare possit, ane partes feudales *Lehn-Stücke* adhuc penes Vafallum, atque in ejus possessione & detentione sint, vel annon forte oppignoratae, aut penitus in extraneum translatae fuerint; cum ob extrajudiciales oppignorationes nonnullis locis receptas hoc facile contingere possit, atque in hunc finem in illis Curii speciatim exigitur, ut si per procuratorem fiat investiturarenovatio, mandatum procuratorium, *Lehns-Vollmacht* in specie ad subscribendas illas Reversales sit conceptum. Id tamen in illis locis usu non solet obtinere, ubi judicialis confirmatio ad oppignorandas res immobiles est necessaria, siquidem tunc non potest Domino per hanc praerudicium fieri, sine aperta feloniam nota, quam ita vafallus, oppignorans

rans res feudales, celare non possit. STRUV. *Synt. Feud. cap. 13. tit. 9.*

§. XXV.

Unde obli-  
getur Va-  
fallus ad  
Rever-  
salia.

Pertinet autem hæc extraditio Reverfalium ad contractum feudalem, & vafallus ejusque procurator ex nexu feudali ad illas exhibendas obligatur. Unde etiam RUDINGER *Cent. IV. obs. 33.* ait: *Sed num Vafallus reuetur facere & tradere Domino Instrumentum recognitionis feudi queritur? & dico: Daß der Lehn-Mann einen Revers von sich geben muß/ darinnen specificè ausgedruckt/ was er von Herrn vor Güther zu Lehn empfangen habe.* Probat id ipsum ex textibus Juris Civilis, sed remotius, cum idem ex natura contractus feudalis & jure domini directi deduci queat. Cum enim respectu hujus Domino competat possessio quadam civilis fundi feudalis, utique Dominus scire debet, quis possessor inferior sit, & a quonam, & quo jure res ac prædia a possessore detineantur; ne forte alias per dolum aut incuriam memoria rerum feudalium obliteretur, aut probatio feudalis deficiat, literis investituræ forte deperditis vel depravatis. ROSENTHAL in *Synops. Feud. cap. VI. Concl. 67.* Exigit porro idem reverentiæ nexus, quo vafallus Domino obstringitur, ut eidem titulum & qualitatem rei feudalis a se possessæ edat, & ita porro se ab omni suspitione defraudationis eo magis purget. RITTERSHUS. *Partiz. Feud. Lib. II, cap. I. qu. 43.*

§. XXVI.

Mos Re-  
versalium

Obtinet mos illarum Reverfalium circa renova-  
tio-

tionem investituræ feudalis ab antiquioribus Germanorum temporibus, prout exemplum refert SCHOPPIUS in *Tbes. Feud. Cap. I. Sect. I. pag. 10.* ibi: *Solemnia curiarum mediatarum, circa Comitum investituram, testante Archivo, hoc modo coram Domino feudi peracta: Der Lehn-Herr reichte dem Vasallo, so Ihm mit Ehrerbietung die rechte Hand gab / mit umgefangenen Armen / Ruß / Fußtritt und Backen-Streich / die Belehnung. Vasallus loco Reverfalium Domino exhibebat designationem rerum feudaliū presentis possessionis, quam designationem subscriptione & juramento confirmabat. Hic prima & renovata investitura modus maximam tunc temporis produxit pro dirimendis controversiis feudaliū facilitatem. Nam diffidationes usitate pertinentiarum statum mutabant, adeoque vasalli fidelitatem in feudo conservando non ad impossibilia promittebant, sicut hodie in Germania, in Curis mediatis passim practicatur.*

§. XXVII.

Porro in causa simultaneæ investituræ Reverfales locum sibi vindicant. Cum enim simultanea investitura simultaneæ investitis jus aliquod reale in feudis tribuat, ideo cauti illi esse solent, qui simultaneæ investitos accipiunt, ut pactis & literis reverfalibus sibi prospiciant, & libertatem alienandi ac oppignorandi quandoque reservent ad certam usque summam, ut nec talis ad simultaneam investituram receptus, possit hoc suo dissensu impedire. Add. MENCKENII *Dissert. de Feud. ex pact. cum simult. invest. alien. §. 4. & seqq.*

*Reverfales  
simultaneæ  
investiti.*

D

sio

fio seu pactio prævio Domini directi consensu confirmetur, cum illius hæctenus non interfit. Datur vero tunc ex hac pactione actio personalis adversus pacifcentem, ut stet promissis ac quandoque interesse præstet. HORNIUS in *Jurisprud. Feud. cap. XII. §. 29.* Pari ratione concludunt Feudistæ, quod si simultanee investitus pacto promiserit possessori facultatem disponendi mortis causâ pactionem talem, licet feudum ipsum non afficiat, hunc tamen effectum producere, ut de fructibus futuris dispositio post mortem valeat, modo tantum relinquatur vasallo, ut inde servilia, & ceteras præstationes debitas domino præstare possit. HORNIUS in *Jurisprud. Feud. cap. XIV. §. 7.*

§. XXVIII.

*Ufus Rever.  
salum circa  
Expecta-  
tivus.*

In concessione præterea Expectativa sæpius fieri solent, ut literas expectativas tradens, sibi per Reversales cavere velit, quod accepturus destinatum tempus expectare, & nihil in præjudicium possessoris moliri velit. HARTM. PISTORIS *Part. II. qu. 30.* Licet enim expectativa jus recte in feudo tribuat, ac proinde etiam sine consensu vasalli possessoris dari possit, juxta I. F. 3. CARPZOV. *Part. II. Const. 45. Def. I.* Attamen utile est, expectativarium per reversales constringere, ne forte intempestive ad possessionem feudi postea aperti advolaret, aut vivo vasallo molestiam creet, aut vero per machinationes testas efficere tenter, ut illa expectantia habeatur pro simultanea investitura, & ita tum Domino concedenti, tum vasallo præsentis possessori injuria excitetur.

§. XXIX.

## §. XXIX.

Usum quoque Reversalium maximum deprehendimus in subinfeudatione, id quod valde necessarium est: <sup>Ufus in sub-</sup> <sup>infeudatio-</sup> <sup>ne.</sup> siquidem jure feudali constat, conditiones feudi collati in subfeudo non posse in deterius mutari sine felonix & privationis nota II. F. 34. KOHL. de *Subfeud. cap. 2.* Unde sedulo per Reversales cavendum est, ne subvasallus ulterius quid sibi arroget, quam eidem a subinfeudante concessum est. Nee proinde semper talia pacta subinfeudationi adnexa literis investituræ inferi, sed quandoque singularibus capitulationibus iniri solent. Ex eorum numero primæ Hildesensis & Halberstadiensis investituræ Comiti de Tettenbach anno 1643. data, singulares juris feudalis præbent observationes, prout adducit SCHOPPIUS in *Thef. Jur. Feud. Pract. cap. I. Sect. I. Obs. 1.*

## §. XXX.

Sequitur casus devolutæ *successionis*, quando Dominus vel Vasallus moritur, pluribus relictis successoribus, <sup>Casus de</sup> <sup>successione</sup> <sup>communis.</sup> qui aliquando in communiōe feudorum persistunt. Tunc enim si unus ex illis Dominis vel Vasallis moriatur, & nullos reliquerit liberos, non opus est, ut denuo juramentum præstetur, quia defuncti pars reliquis accrescit. Opus tamen est aliqua petitione atque declaratione vasalli per Reversales facta, qua ostendat, se partem ad reliquos dominos jure communionis devolutam recognoscere, sicuti etiam ex parte Dominorum opus erit nova aliqua declaratione, se Vasallum etiam pro parte ista delata velle

agnoscere. FRANTZKIUS *Lib. 1. Resol. 19. n. 20. & seqq.*  
 BERLICH. *Part. I. Conclus. 13. n. 36.*

§. XXXI.

*Reversales  
 circa servi-  
 tia feudalia.*

Circa servitia quoque feudalia frequentes inter Dominum & Vasallum, nec non inter Vasallos ipsos pactio- nes intercedere solent. Et quidem inter Dominum directum & Vasallum hoc per Reversales expediri posse, facile admittendum, ut scilicet servitia debita, quoad modum, tempus, locum atque diversas species determinentur, cum sapinus pro diverso temporum, & ingruentis necessitatis casu præstationes illorum varient. Porro interesse potest Domini & Vasalli, an servitia magis in natura, quam in pecunia præstari debeant. Et quidem si istæ Reversales præsentem tantum, & temporariam servitiorum præstationem concernant, non opus est, in feudis antiquis agnatorum consensum requirere, quia tunc talia pacta non feudum ipsum afficiunt, sed tantum executionem personalem respiciant. Sin vero tanquam onus reale ac perpetuum servitia quædam fundo feudali imponenda forent, vel etiam imposita augenda sint, illorum consensu omnino opuserit, alias enim pactum hoc reversale Vasallo tantum consentienti ejusque heredibus, non vero agnatis præjudicabit KOHL. *de Servit. Feud. Part. IV. n. 115. & seqq.* Nec minus circa distributionem, sive repartitionem servitiorum feudalium, quandoque inter agnatos, vel totum corpus Nobilium *Ritterschafft* pacta & mutua Reversales fieri solent; quæ hactenus subsistunt, si proprium tantum illorum interesse concernant, & non per-

pertingant in præjudicium Domini directi. Unde non valet agnatorum pactio, de servitibus ab uno feudo transfereendis in aliud. Estimationem tamen & taxam prædiorum Nobilium den Anschlag der Lehn- und Ritter-Pferde facilius pactis mutuis statuere possunt, nec non ordinem & præcedentiam, qua in actibus solemnibus uti velint.

§. XXXII.

Circa debita feudalia & oppignorationem feudi itidem frequentia Reversalium pacta solent interponi. Cum enim sine agnatorum, Domini directi & simultaneous investitorum consensu debitum in feudo accipi, vel idem oppignorari nequeat II. F. 35. STRUV. *syn. Feud. cap. XIII. tb. 3.* Igitur omnino necessarium est, pactis sibi hunc in casum prospicere; ac proinde non tantum cum simultanee investitis, sed ipsis etiam agnatis a primo acquirente sanguinem trahentibus, frequentes solent intercedere Reversales, quibus se in antecessum obstringunt, ad consensum suum usque ad certam summam non denegandum, HORN. *Jurispr. Feud. cap. XX. §. 15.* Quod pactum talem producit effectum, ut non tantum nova aliqua declaratione non opus sit, si quando Vasallus postea feudum illud, usque ad definitam in Reversalibus summam oppignorare velit, sed etiam ad præteritas feudi oppignorationes extendi queat, ita, ut per hoc tacita illarum inducatur ratihabitio. SCHILTER. *Exerc. ad Pand. VIII. §. 45.* Pertinent tamen hæc Reversales tantum ad debita, non ad alia jura ex pacto primi acquirentis & providentia legis feudalis

Reversales  
in Oppignora-  
tione  
feudi.

competentia; Unde consentiens agnatus in oppignorationem non excluditur a jure Retractus feudalis, per ea, quæ tradit HARTM. PISTORIS *Part. II. quest. 38.* Cum porro juxta stylum & observantiam Curiarum feudalium consensus Domini directi in oppignorationem feudi soleat plerumque ad certum tempus restringi, quo elapso expirat, nisi prorogatio sit impetrata. CARPZOV. *Part. II. Const. 23. def. 24.* ideo ad majorem securitatem Domini, ne feudum ultra tempus maneat gravatum, aut occasionem arripiat Vasallus, prorogationem aliquam sub. & obreptitæ impetrandi a Cancellaria feudali, solent præterea Reverfales a Vasallo exigere, quod velit intra præfinitum tempus, restituendo sortem cum usuris, feudum ab are alieno liberare; quæ Reverfales eo magis vasallum in mala fide constituunt, & nexum consensualem Domini feudi dissolvunt, ut inde Domino actio ad interesse competat.

## §. XXXIII.

*In causis  
Dotalitii ac  
dotis,*

In causis etiam *Dotalitii ac Dotis*, quæ viduis & filiabus ex feudo, atque ab ejus possessoribus debentur, frequentes sunt Literæ Reverfales; ita Filia illustri constituta sibi dote solet quandoque per Reverfales reliquis bonis renuntiare. GAIL. *II. Obs. 148.* Et pariter ii Vasalli pro elocanda filia Domini directi quid conferunt, solent sibi per Reverfales, a Domino directo datas, prospicere, quibus testato sit confessio, quod precario illa atque ex liberalitate facta fuerit collatio, ne scilicet tale quid in necessitatem muneris devertat MYNSINGER. *Cent. V. Obs. 21.* Denique ipsa quantitas & qualitas dotalitii sæpissime per mutuas ag-



natorum ac familiarum nobilium pactioes reversales solet  
 definiiri, tam inter se invicem compositas, quam cum vi-  
 duis erectas, super illatione ac versione dotis in feudum,  
 quæ sustinentur, modo feuda non nimis gravent. Et  
 cum ejusmodi literæ in rem atque in ipsum feudum con-  
 ceptæ intelligantur, ideo consensu quidem ac confirmati-  
 one Domini directi opus erit, semel tamen legitime con-  
 fectæ, futuros etiam feudi successores stringunt. In hisce  
 proinde Reversalibus utilis pro viduis ac filiabus cautela  
 est observanda, ut iisdem clausula constituti feudalis in-  
 feratur: daß Sie nicht eher weichen sollen aus der  
 Lehn/ oder es wolte der Lehnsfolger nicht eher völli-  
 ger Besizer des Lehn-Guths heissen/ bis Sie daraus  
 so hoch bezahlet und befriediget. SCHOPPIUS *Thes.*  
*Feud. Pract. cap. II. Sect. 10. Obs. 11.*

§. XXXIV.

In *Laudemiorum* Feudalium præstatione, præter  
 Constitutiones & Consuetudines locorum etiam Rever-  
 sales conventionum primario attendi debere, notat HOR-  
 NIVS *in Jurispr. Feud. cap. 17. §. 21.* Cum enim quan-  
 titas hujus Laudemii ejusque præstatio non ad essentialia  
 feudi pertineat, sed partim ad naturalia, partim ad acci-  
 dentalia referri queat, utique pactis partium diversimode  
 determinari poterit. Solet autem in hisce Reversalibus  
 non tantum quantitas laudemii exprimi, sed etiam casus,  
 quibus præstatio illius obtinere debeat, & maxime iis o-  
 pus est, quando Laudemium in casu successionis a descen-  
 dentibus a primi acquirentis sanguine prætenditur.  
 FRANTZK. *de Laudem. cap. 3.* Siquidem hi ordinario  
 jure, taxam tantum Cancellariæ & sportulas persolvunt.  
 IN XXX. 2

*Circa Lau-  
demia.*

STRU-

STRUVIUS *Synt. Feud. cap. X. §. 16.* Ut proinde Dominus directus contrarium asserens optime per ejusmodi literas reversales suam intentionem probare queat, CARPZOV. *Part. II. Const. 39. def. 32.*

§. XXXV.

*Reversales circa Feudorum refutationes*

In *Resignationibus, Cessionibus & Refutationibus* feudorum, jurium atque pertinentiarum feudaliū, literarū quoque Reversales frequentissime obveniunt. Cum enim ejusmodi refutationes saepius sub certis reservationibus atque limitationibus fieri soleant, ideo opus omnino est, pactis easdem definiri; ita e. g. refutans feudum suum in favorem tertii, potest sibi reservare jus succedendi, si ille tertius sine prole mascula decesserit, prout casum adducit SCHILTER. in *Cod. Jur. Feud. Alem. ad cap. 69. §. 2.*

§. XXXVI.

*Circa Forum Feudale.*

Denique circa forum Curiae feudalis designandum saepe per literas Reversales pacta iniri solent. Quamquam enim Dominium directum & nexus vasalliticus per se Jurisdictionem feudalem in Vasallum fundat STRUV. *Synt. Feud. cap. 16. §. 4.* adeo, ut Vasallus etiam in causis feudum non concernentibus, coram Domino Feudi conveniri possit, ob reverentiam scilicet, quam Domino directo exhibere, & ita ad ejus jussu in curia Domini comparere debet. CARPZOV. *Lib. VI. Resp. 15.* tamen ad praevendas varias malas consequentias, possunt desuper literae Reversales singulariter concipi, uti exempla Reversalium Comitum de Stolberg, Mansfeldt & Schwvarzburg adnectit SCHOPPIUS in *Theaur. Feud. Pract. cap. 3. Sect. I. Obs. 8.*

§. XXXVII.

## §. XXXVII.

Probant hæ Reversales contra Dominum & Vasal-<sup>Probatio</sup> lum, illas scribentem vel subscribentem. SCHNEIDEW.<sup>per Revers-</sup> *Part. V. de Feud. n. 117.* atque in probandis pertinentiis<sup>ales.</sup> feudi frequentes & utiliter adhiberi solent. Nec minus ad alia negotia feudalìa demonstranda, valide applicari possunt. Unde ROSENTHAL in *Synops. Feud. cap. 6. Concl. 67.* ait: *Et ad id dandum Dominus Vasallo, Et e contrario Domino Vasallus ad antapocham ejusdem argumenti (quas vulgo literas Reversales aut Reversalia eimen Revers nuncupant) tenetur. Cujus instrumenti ea est vis Et efficacia, ut in controversiis feudalibus plene probet, Et sufficientem mereatur fidem, ejusque tenori ita statur, ut omni feudorum generi Et natura deroget.* Est vero tale instrumentum invicem pro communi habendum, atque ideo communiter edendum, & possunt eo nomine a superiori mandata compulsoria, etiam arctiora, decerni, & detinens malitiose, atque editionem detrectans ad interesse obstringitur ROSENTHAL *l. cit. cap. VIII. Conclus. 33.*

## §. XXXIIX.

Est interpretatio harum Reversalium facienda juxta <sup>Interpre-</sup> analogiam Juris feudalis, quippe cui partes pacifcentes se <sup>tatio Re-</sup> in dubio conformasse censentur. Et quidem porro juxta <sup>versalium.</sup> literas primæ investituræ. Siquidem harum tenor primario in feudis spectandus, cum sint basis & fundamentum totius negotii feudalis, arg. II. F. 25. Præterea in interpretatione harum Reversalium qualitates feudi collati considerandæ, num masculinum, aut foemininum; num

E

ex

ex pacto num vero hereditarium sit; francum, an vero  
servitium obnoxium, siquidem formulæ loquendi juxta na-  
turam cujusque feudi attemperari debent. Et quidem  
pacta Reversalium anteriora, circa interpretationem præ-  
ferantur posterioribus, ut bene advertit HORNIUS in  
*Jurisprud. Feud. in Append. II, pag. 164. n. 22.* Nisi paci-  
scentes expresse a primis recedant, ubi pacta posteriora pri-  
oribus omnino derogant *II, F. 12. cap. I. STRUVIUS Synt.*  
*Feud. Cap. I. §. 11.* Unde utilis in istis casibus cautela, ut  
quoties aliquid per Reversales posteriores est mutandum,  
fiat expressa mentio & prioris qualitatis feudalis & hujus  
superaddita posterioribus Reversalibus mutatio v. g. daß/  
ob zwar vor diesem/befage der vorigen aufgerichteter  
Verschreibungen und Reversalien/das Ritter-Guth  
N. N. ein ganzes Lehn-Pferd gegeben/ dennoch sol-  
ches hiedurch und Krafft dieses/ wesentlich und wohl-  
bedächtigt/ biß auf ein halbes vermindert worden/  
auch daher dieser Revers gestellet/ also und dergestalt/  
daß hinführo von bemeldten Lehn-Guth N. N. die  
Besigere desselben/bey Aufgeboth der Ritter-Pferde  
von dato an nichts mehr denn ein halbes Lehn-Pferd  
beyzutragen sollen verpflichtet seyn. Non inconveni-  
ens quoque erit, causam hujus mutationis inserere, hinc  
formalibus: In Betracht durch die langwierige Krie-  
ges-Unruhe und andere unvermeidliche Unglücks-Fäl-  
le wohlverwehntes Lehn-Guth so ruiniret worden/  
daß ein ganzes Lehn-Pferd davon aufzubringen vor  
unnöthig befunden worden/befage der darüber ge-  
habten Untersuchung und geführten Lehns-Protocolls,  
de dato &c. Necessaria tamen illa adjectio causa non est,  
siqui-

liquidem inserta verba: *Wissentlich und wohlbedächtigt* talem deliberationem, cognitionem atque inquisitionem causa tacite in se comprehendunt. Nihilominus vero utile est adicere, ne postea forte dici possit, obreptum esse Domino, quod eo minus dici poterit, si fiat relatio ad protocollum feudale, desuper confectum. Add. SCHILTER, *Cod. Jur. Alem. Cap. XLIII. §. 4.*

§. XXXIX.

Pertinent hæc literæ Reversales ad Inventarium Feudorum & ad Archivum feudale: Unde SCHOPPIUS ait: *Pertinent ad Inventarium feudale: pro faciilianda pertinentiarum cognitione rectificatio inventarii feudalis omni studio esse instruenda, daß man in Saal Büchern nicht nur die investituras mit ihren Stamm Bäumen verzeichne/ sondern Explicationes der Lehn-Brieffe/ & clausulas pertinentiarum darinn verleihe/ und solche von Vasallo in einer eydlichen designation an statt der Reversalien ersordere* *Thef. Feud. Pract. cap. IV. Sect. II. Obs. 3.* Censemus autem tale Archivum Feudale esse annexum territorio, ac ideo cedere possessori ejusdem, in cujus districtu feudali feuda illa existunt, super quibus talia instrumenta Reversalium confecta sunt. Conf. MYLER. ab EHRENBACH de *Princip. ac Statib. Imper. cap. 47.*

§. XL.

Contraria denique harum literarum Reversalium, *Contraria Reversalium.* quibus fides illarum & usus evertitur, sunt varia. Præter vitia enim communia, quæ fidem instrumentorum faciunt suspectam, etiam vitiantur hæc Reversales primo, si non plena in illis fiat rerum feudalium designatio. Unde SCHILTER in *Cod. Jur. Feud. Alemann. ad cap. 32. p. 209.* refert, quod an-

no 1650. Ludovico Electori Palatino ad Rhenum Praepositus Curiae feudalis suggesterit: Daß/ weil ein grosser Fehler in Lehn, Verlehen und Reversen, daß in selbigen das Lehn nicht an sich selbst/ wie es seyn solle, specificirt/ sondern nur in genere mit dem Wort pertinentien, An- und Zugehörungen allegiret, und dadurch J. C. D. als Lehn-Herren ein grosser Schaden in consideration selbigen Umstandes zugezogen würde &c. Quod si ergo Vasallus dolose quædam omiserit, illis pertinentiis privari poterit arg. II, F. 26 STRYK. *Exam. Feud. cap. 23. qu. 9.* Exspirat porro Reversalium usus temporis lapsu, si forte ad certum tempus restrictæ fuerint. Denique extincto feudo, vel deficiente Vasalli generatione, intuitu cuius & cum quo talia pacta Reversalia erant inita, si quidem sublato principali, non possunt non accessoria simul extingui.

Addenda ad §, XIV.

Circa Vicarios Imperii notandum, quod quidem Jus non habeant nova Imperii feuda concedendi, cum ipsis administratio tantum Imperii habeatur commissa; At vero renovationem feudi veteris habent, & jus recipiendi iuramentum nomine Imperii, si alias tempus annum petendæ investituræ præfinitum, esset elapsurum. Atque inde concludimus, iisdem etiam permittum esse, vetera pacta & Reversales feudi confirmare, non tamen nova addere in præjudicium Imperii, STRUV. *Synt. Jur. Publ. Dissert. XIII. §. 31.* VITRIAR. *Instit. Jur. Publ. Lib. III. tit. 7. §. 5.* Excipiuntur Feuda Principum, quæ vulgo *Sahm* Lehn vocantur: horum enim investituram & collationem Aurea Bulla soli Imperatori vel Regi Romanorum reservat. Add. THULEMAR. *Offic. Vir. cap. XXII. §. 28.* CRUGER. *Novemvir. Discurs. XIX. §. 11.*

FINIS.

ULB Halle

003 948 404

3



*Sb.*









1720, 9 12

DISSERTATIO JURIS FEVDALIS INAVGVRALIS  
DE

# LITERIS FEVDI REVERSALIBVS

Don  
**Lehns-Reversalien,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAE QVE &c.

CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS IVRIDICI  
SVB PRÆSIDIO

**IOANNIS BERNHARDI Friesen, JCTI**

HÆREDITARII in Pöfen,  
CONSIL. AVL. ISENAC. ET CONSISTOR. PANDECT. PROF. ORDINAR.  
CVRIA PROVINCIALIS ET SCABIN. ASSESSORIS VT ET FACVLTATIS  
IVRID. H. T. DECANI

**PATRONI AC OLIM PRÆCEPTORIS ÆTERNVM  
DEVENERANDI**

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET  
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME  
CONSEQVENDIS

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
**HENRICVS CONRADVS KOENIG**

OSTERODENSIS.  
D. XXXI. IANVAR. MDCCXX.

**IENÆ**  
LITERIS VVERTHERIANIS.

